

Cum vero familia ipsa adeo numerosa sit, ut facile diminutionem praesertim ex iis, qui culinae inserviunt pati posse videatur ideo Pater Coadjutor curabit, ut qui sibi superflui visi fuerint dimittantur ne monasterium supervacaneo et inutili sumptu gravetur.

Manus(?) etiam quam deceat et plane contrarium sit bono regimine domuum religiosarum, ut liberum sit omnibus, praesertim mulieribus ingredi in atrium monasterii et multo minus usque ad ipsam monachorum culinam, aliasque monasterii officinas, praesertim tribus illis diebus carnis privium praecedentibus: propterea necessario curandum est, ut portae ambae per quas in atrium patet aditus clausae custodiantur ita ut earum altera clausa semper maneat, nisi cum pro usu monasterii currus vel equos intrare oporteat. Altera a janitore cum usus fuerit aperiatur, qui secundum regulae praeceptum prope portam cubiculum suum habeat et cetera omnia juxta eandem regulam a Patre Coadjutore ordinentur, quae magis sibi expedire videbuntur pro bono usu et custodia earundem januarum. Caveantque superiores ne ulla ratione ancillae villarum monasterii in pistrino aut spinta aut aliis similibus locis vel deponant quae afferunt, vel recipiant, quae exportant, nec lotricis(?) quorumcunque sed haec omnia faciant in atrio ante portas dictorum locorum.

* * *

Den Einfluss, welchen die Visitation auf die Mönche und das Kloster St. Maximin gehabt hat, vermögen wir, da uns directe Beweise nicht vorliegen, nur aus dem schliessen, dass wir 1611 einen Coadjutor cum jure successionis in St. Maximin finden und dass namentlich in den späteren Jahren des XVII. Jahrhunderts tüchtige Aebte an der Spitze des Klosters stehen, welche um die innere und äussere Verwaltung der Abtei sich grosse Verdienste erworben haben.

De veris Breviarii Romani originibus et prima ejus forma. Disquisitio critico-liturgica.

Auctore R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

(Continuatio ad Fasc. I. 1895, p. 3—10.)

§. 5. S. P. Benedictus assertor anterioritatis cursus romani supra monasticum.

Auctor Regulae Monasticae non sine solutione reliquit, meo judicio, questionem anterioritatis Psalmorum distributionis romanae supra monasticam: eam e contra implicite si non explicite, in diversis capitulis suae scriptionis diluit et solvit. Etenim in primis dicta monastica distributio non semper sibi ipsi sufficit, sed ali-

quot vicibus alieno, id est romanae indiget auxilio, sic 1. quando agitur de canticis prophetis Laudum matutarum remittitur ad ordinem romanum pro hac assignatione, quin ea cantica singulatim et nominatim determinentur¹⁾ quod est idem ac asserere romanum ordinem saltem sub hoc respectu monastico tanquam exemplar inservisse ac proinde antiquiorem esse.

2. Patriarcha Cassinensis tractans de Canticis evangelicis Laudum et Vesperarum: „Canticum de Evangelio“²⁾ ait simpliciter sine ulla magis fixa indicatione, licet verba ista in se sumpta non sufficerent ad determinandum quodnam canticum sit usurpandum. Ordinator vero Cursus Romani, sic expressius loquitur: „Canticum Evangelii S. Mariae“ pro Vesperis; „Canticum evangelicum Zachariae“ pro Laudibus; „Canticum Simeonis“ pro Completorio.³⁾ Sed quid hic immerer, non proculdubio requirens aliqua vestigia imperfectionis in Regula monastica, quae merito nuncupatur Codex perfectionis aseceticae, sed simpliciter ostendens qualiter ex ipso textu Regulae eruitur manifeste distributionem Psalmorum Romanam Monastica antiquiorem esse? Audiatur tamen ipse gloriosus Pater Benedictus et testimonium ferat in tali causa, nam ejus verba mihi videntur novam addere praecedenti argumento virtutem:

„Canticum unumquodque“ ait sanctus Legislator tractans de Laudibus Matutinis, „die suo ex Prophetis sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur“⁴⁾ Porro istiusmodi verba alludunt, ut mihi videtur, non solum cursui Romano generaliter considerato sed etiam speciatim antiquo ordini psallendi Ecclesiae Romanae, id est, distributioni liturgicae Psalmorum. Si res vera non esset, vox psallere, quam usurpat in hoc loco sanctus Pater, inintelligibilis aliquo modo esset, siquidem hic et nunc non de Psalmis auctor loquitur, bene vero de canticis Prophetarum. Aliunde Romanus erat genere Benedictus, et Romanae traditionis eum multum esse tenacem omnes norunt et laudant.

Veruntamen aderunt forsitan aliqui severioris notae criticistae, qui animadvertentes S. Benedictum in praedicta circumstantia solummodo loqui de officio Laudum, audacter asserant meum claudicare argumentum, cursumque Romanum vivente Benedicto, non jam esse hodierno persimilem, sed aliquot horis simpliciter non omnibus et praesertim non completorio constituisse. Quapropter nunc proferatur secundus testis ita explicitus circa praesentem controversiam, ut ei minime denegari queant fides et auctoritas.

1) Regula S. Benedicti cap. XIII.

2) Regula S. B. cap. XII, XIII, XVII.

3) Confer Ordinem jam pluries citatum.

4) Regula S. Benedicti cap. XIII.

§. 6. Cassiodorus et ejus testimonia de cursu romano omni auctoritate digna.

Cursus Romanus existebat saltem initialiter ante S. Benedictum, ipsumque in aliquo imitatus est Legislator Cassinensis. Res est certa, siquidem eam didicimus ex ore ipsius s. Benedicti. Sed hoc non plane sufficit meo proposito. Superest ut probetur dictum cursum Romanum jam tunc temporis constare iisdem omnibus et singulis Horis Canonicis, quibus hodie efformatur et constituitur. Porro inter coevos S. Benedicti nullus magis notus est quam Cassiodorus, qui Romae diu versatus, et consulatum, aliaque munia publica implens, optime noverat res sui temporis sive ecclesiasticas sive civiles. Nobis vero reliquit inter alia scripta plane authentica egregiam quamdam commentationem Psalmorum, in qua frequenter tractat de Psalmodia, quae tunc erat in usu. Hanc ergo commentationem interrogabo et diligenter perscrutabor ut discam ex ea, quibus Horis constiterit, vivente hoc docto scriptore, Psalmodia usualis, et quibus in locis vim habuerit legis. Non me latet tamen aliquot vicibus habitum fuisse Cassiodorum tanquam SS. Benedicti discipulum et ideo sedulo conferam verba ejus cum textu Regulae monasticae, ut sciam an adsit concordia vel non: nam aliunde iste commentator de unico et uniformi, tanquam ubique recepto, psallendi modo loquitur toto decursu suae tractationis. Unde profecto si iste modus non est monasticus, debet esse romanus. Primo loco afferatur quidam versiculus Psalmi centesimi decimi octavi, quem uterque commentatus est, S. Benedictus scilicet et Cassiodorus, unde clare patebit quid cogitandum sit de eorum sententiis et opinionibus diversis seu concordibus. Loquor de versiculo tam frequenter usurpato a Liturgistis: „Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiae tuae.“¹⁾ Circa quem sic se exprimit Cassiodorus: „Si ad litteram hunc numerum (septies) velimus advertere, septem illas significat vices, quibus se monachorum pia devotio consolatur, id est, Matutinis, Tertia, Sexta, Nona, Lucernaria, Completoriis et Nocturnis. Hoc et S. Ambrosii hymnus in Horae sextae decantatione testatur.“²⁾ In qua citatione verba Psalmistae septies in die intelligi debent secundum Cassiodorum de die completo seu de die viginti quatuor horarum, diem ac noctem complectente, totusque cursus canonicus redigitur ad septem Horas pro die et nocte. Porro Sanctus Benedictus res aliter intellexit, aliterque disposuit; nam eo teste „De Horis diurnis loquitur Propheta: septies in die laudem dixi tibi.“ De Nocturnis vero Vigiliis idem ipse Propheta ait: „Media nocte surgebam ad confitendum tibi.“³⁾

¹⁾ Psalm. CXVIII, v. 164.

²⁾ Cassiodorus in Psalm. CXVIII, v. 164.

³⁾ Ps. CXVIII, v. 62. — Regula S. Benedicti cap. XVI.

Ideirco secundum eundem Legislatorem octo numerantur Horae Canonicae scilicet: Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorium et Nocturnae Vigiliae.¹⁾ Unde clare patet verba Cassiodori non aptari posse cursui S. Benedicti, dum e contra optime conveniunt cursui Romano, in quo Vigiliae Nocturnae semper unum faciunt cum Matutino seu officio Laudum, et septem solummodo non octo computantur Horae.

Psalmorum equidem commentator loquitur in loco citato de pia monachorum consolatione, monachi vero, quos sic introducit, non erant Cassinenses, sed incolebant juxta omnem probabilitatem coenobia circa praecipuas romanas basilicas a S. Leone Magno et ejus successoribus aedificata²⁾ nec jam erant addicti Regulae S. Benedicti recentius conscriptae, et ea aetate, id est, ante S. Gregorium, paulo extensae, licet eam postea haec monasteria amplexati fuerint saevientibus Longobardis et Cassinensibus Romam confugientibus.³⁾

Si vero mihi opponeretur Cassiodorum in loco allato non loqui de Cursu Romano, quia omittitur Hora Primae, responderem hoc forsitan provenire ex intentione non progrediendi ultra numerum septem Horarum. Aliunde idem auctor alibi in eadem lucubratione, nulla Hora suppressa, mentionem facit explicitam Horae Primae. Verba sequentia ejus eo libentius afferam, quod in eis directe alluditur, nisi valde fallor, antiquo ordini psallendi Ecclesiae Romanae, de quo supra:

„Psalmi sunt, — ait Cassiodorus, — qui nobis gratas esse faciunt Vigiliis, quando silenti nocte psallimus; ipsi diem venturum Matutina exultatione conciliant, ipsi nobis Primam diei horam dedicant, ipsi nobis Tertiam horam consecrant, ipsi Sextam in panis confractione laetificant,⁴⁾ ipsi nobis Nonam jejunia resolvunt, ipsi diei postrema concludunt, ipsi, noctis adventu, ne mens nostra tenebretur, efficiunt.“⁵⁾ Commentator tractat, ut patet, de quodam cursu divinae laudis, in quo nihil adsunt nisi psalmi, ut res sese habebant in antiquo ordine psallendi Ecclesiae Romanae, non de cursu monastico, in quo ex institutione ipsius S. Benedicti unum efficiunt cum psalmis hymni, antiphonae, lectiones et responsoria.

Aliunde Matutinum, quod idem est ac officium hodiernum Laudum, et Prima separatim enunciantur et tamen non fiunt octo sed septem tantummodo Horae, more romano ut jam dixi ac teste

1) Regula S. Benedicti cap. XVI.

2) Liber Pontificalis editio Duchesne, t. 1, p. 239 et nota 11.

3) De hac re docte disserit R. P. D. Levesque (Massiliensis) O. N. in Ephemeridibus vulgo dictis »La Science Catholique«, Mai 1893.

4) Veteres non comedebant ante horam Sextae.

5) Cassiodorus: Prologus in Psalmos, initio.

eodem Cassiodoro, quia *Laudum Matutinarum* et *Primae* idem fere est objectum, idem et finis.

Caeterum ordo psallendi, de quo loquitur in isto prologo Cassiodorus, non potest idem esse ac ordo a S. Benedicto institutus non solum ob rationem jam allatam, sed ob plures alias, quarum duas solummodo afferam.

In primo loco Commentator suam scriptionem dedicat, res notatu digna, non B. Benedicto, aut alicui ex ejus discipulis, sed uni ex Romanis Pontificibus, vel saltem alicui caractere episcopali insignito, siquidem eum vocat „Pater Apostolice.“¹⁾ Porro vivente sancto Patre Benedicto, non debebat esse consuetus episcopis ordo psallendi a Patriarcha Cassinensi recenter institutus.

In secundo loco, ordo psalmodiae, de quo loquitur Cassiodorus, describitur ex una parte tanquam uniformiter ubique receptus, ex altera vero tanquam non recenter institutus sed jam ab antiquo existens.²⁾ Quae duo asserta non poterant, nisi erronee, dici de cursu monastico, mediante seculo sexto, siquidem recens erat et paulo diffusus.

Hinc nemini dubium esse potest Cassiodorum in locis allatis et in viginti aliis, ubi tractat similiter de psalmodia, quae tunc temporis erat in usu, locutum fuisse unice de quodam cursu a monastico manifeste diverso, de quodam cursu, qui e contra non poterat esse alius ac Romanus, siquidem erat ubique receptus. Porro si iste cursus romanus jam a multis annis, vivente Cassiodoro, vigeat; si omnibus et singulis Septem Horis Canonicis jam constabat, negari etiam non potest eundem cursum romanum monastico antiquiorem esse, nec ab eo pendere quoad institutionem Completorii et aliarum Horarum, seu quoad Psalmorum partitionem liturgicam sed e contrario monasticum cursum e romano sub hoc duplici respectu pendere.

Rebus vero sic stantibus, quae necessitas mihi incumbit nova testimonia perquirendi, novaque argumenta congerendi? Non video. Nam verba jam allegata S. P. Benedicti et Cassiodori plena ex sese auctoritate frui merentur, nisi multum fallor. Verumtamen mihi scrutanti de eadem re scripta Sanctorum Patrum quarti et quinti seculorum, duo novi testes nunquam hactenus citati, mihi ostensi sunt, quorum duplex testimonium hic proferre alicujus operae pretium erit, ut spero. Insuper e tenebris eduxi quemdam antiquum canonem ecclesiasticum, cujus tenor multam exhibet affinitatem cum assertis Cassiodori superius citatis. Unde duo dicti testes statim in medium adducentur, dum iste canon in appendicem tantum ponetur quia ejus aetas non est sufficienter certa.

¹⁾ Prologus citatus, initio.

²⁾ Confer quae dicuntur 1. de Psalmo XCIV, qui vocatur Gallus Ecclesiae, seu Excitator populi Christiani. 2. de Psalmo LXXVI, v. 4: ubi de Vigiliis, quas usus noster consuevit appellare Nocturnos.

§. 7. Stabiliuntur asserta Cassiodori testimoniis
Arnobii Junioris et S. Maximi Taurinensis.

Nemo mihi molestus sit relate ad duo testimonia quae sequuntur, nemo me insimulet, dicens me eis eandem ac assertis Cassiodori seu S. P. Benedicti tribuere auctoritatem. Res non est vera. Ego enim libenter profiteor verba Arnobii Junioris et S. Maximi Taurinensis, quae mox citabuntur, parum habere auctoritatis, si considerentur separatim a Cassiodoro, utpote non sufficienter explicita. Sed res mutatur in melius quando animadvertitur similia referri tum a Cassiodoro, tum ab his duobus novis testibus: nam ex hac concordia eruitur non diversum esse ordinem psallendi, de quo tractatur sed eundem ac proinde Romanum siquidem Cassiodorus, ut jam ostensum est, de isto et non de alio loquitur in sua Psalmorum Explanatione Porro Arnobius et S. Maximus Taurinensis quinto seculo pertinent: unde si in eorum diebus jam vigeat ordo romanus Psallendi, non potest esse nisi antiquior seculo quinto exeunte; quae res probanda erat.

Arnobius, qui vocatur Junior ad distinctionem alterius Arnobii antiquioris et Afri genere, Gallus erat origine et genere, ut verosimilius videtur, vitam vero egit monasticam apud Lirinensem insulam. Posterior est S. Hieronymo, cujus exempli Pelagii errores impugnavit sed adeo incaute ut in Semipelagianismum inciderit. Inter alia scripsit Arnobius in Psalmos commentarium, in quo fere unice ipso testante ad moralem explanationem incumbit.¹⁾ Duabus tamen vicibus loquitur de psalmodia, quae eo vivente jam erat in usu in multis locis. Porro sic sese exprimit in explanatione psalmi centesimi quadragesimi octavi, super haec verba: „Laudate Dominum... Angeli, virtutes... „Haec ad nos, ait, verba sunt, quotidie hujus psalmi tuba per totum mundum, mox ut coeperit aurora diei inchoare principium, universa, quae in coelo et quae in terra sunt, ad laudandum et benedicendum Dominum provocamus.“²⁾ Qui ritus revera pertinet ad antiquum ordinem psallendi Ecclesiae Romanae, juxta quem psalmus allegatus quotidie diluculo canitur in Matutinis Laudibus, et si mihi objiceretur rem eodem fieri modo in ritu gallicano primitivo³⁾ et forsitan in aliquot aliis responderem objectionem hanc irritam esse; nam isti ritus regionales erant, non per totum mundum diffusi, ut asserit expresse commentator: quae verba solum decent cursum Romanum, vel cursus, qui ei in hac re consentiunt.

Explanans vero psalmum undecimum, cujus titulus est pro

¹⁾ In Psalm. LXI initio et alibi passim.

²⁾ In Psalm, CXLVIII initio.

³⁾ S. Gregorius Turon. Vitae Patrum, VI, 9 et alibi.

octava: „Undecimus psalmus, ait iste auctor, pro octava, id est pro dominica die ponitur.“¹⁾

Porro revera in cursu romano undecimus psalmus canitur in Vigiliis Dominicalibus dum in cursu monastico remittitur ad Primam feriae quartae. Hinc conjicitur dictum Romanum ordinem psallendi jam in multis locis vim legis habuisse mediante seculo quinto, seu quando Arnobius suam in Psalmos commentationem scribebat.

Eadem conclusio, in quantum refertur ad aetatem dicti Ordinis Romani, non minus legitime deducitur ex verbis mei secundi testis, S. Maximi Taurinensis episcopi, qui eisdem fere annis ac Arnobius florebat in Italia.

Acrius enim increpans tanquam orator christianos falsi nominis, qui occasione Calendarum Januarii paganis ludis et lasciviis inhoneste vacabant: „Quomodo, aiebat, non auditis clamantem quotidie in Ecclesia B. David et dicentem: Filii hominum, usquequo gravi corda? ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?“²⁾ Haec verba Psalmistae regii desumpta sunt ex Psalmo quarto.³⁾ Sed multis aliis vicibus S. Maximus attulit exempla seu adhortamenta ex Psalmis mutuata quin similiter asseruerit ea quotidie in Ecclesia clamari: Unde istiusmodi verba plane inusitata in ore oratoris manifeste supponunt existentiam alicujus consuetudinis seu ritus ecclesiastici, vi cujus intelligibilia redduntur. Porro quis est ille ritus nisi ille, qui inscribitur in antiquo ordine psallendi Ecclesiae Romanae de quo superius locutum est? Nonne virtute istius ritus B. David introducit quasi clamans quotidie in Ecclesia. „Filii hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?“⁴⁾ Siquidem iste versiculus quotidie juxta hunc ordinem psallendi canitur in officio completorii et nomine totius Ecclesiae.

Recapitulatio.

Quidquid sit de vi et virtute argumentationis, quae pro fundamento habet dicta Arnobii Junioris et S. Maximi Taurinensis asserta, negari saltem non potest, quod superius ostensum est solide: 1. Psalterium dispositum per hebdomadam habendum esse tanquam primam et essentialem Cursus Romani formam, ac proinde hunc Cursum ab initio omnibus et singulis Horis Canonice hodiernis constituisse.

2. Licet nos lateat a quo Pontifice introducta fuerit haec partitio liturgica Psalterii, certum est tamen ex Cassiodoro et

¹⁾ Arnobius: In Psalmum XI, initio.

²⁾ Homilia XVI, circa medium.

³⁾ Ps. 4, v. 3.

⁴⁾ Psalm 4, v. 3.

S. P. Benedicto eam antiquiorum esse sexto seculo, et Regula ejusdem S. Patris Benedicti. Quae duae res solummodo a me probandae erant in praesenti tractatione. Quid aliud certe asseri potest circa initia Cursus Romani? Nescio, silentibus de hac re sanctis Patribus et historicis ecclesiasticis. Solummodo ex verbis allatis Arnobii Junioris et S. Maximi Taurinensis stabilitur aliquantulum major antiquitas partitionis liturgicae Psalterii et eruitur saltem conjecturaliter eam jam extisse quinto seculo mediente.

(Conclusio in seq. fasc.)

Geschichts-philosophische Studien.

Von Dr. P. Beda Adlhoeh, O. S. B. in Rom.

V.

Die vorbildliche Ursache der Menschheitsgeschichte.

1. Wo immer ein sinnenfälliger Stoff zu Formen gebildet wird, welche einem Bilde oder Begriffe entsprechen, der über die Sinnenwelt hinausliegt, dort reden wir von Kunst. Im Biber, der seinen Bau mit Meisterschaft vollführt, erkennen wir eine den Stoff überragende Kraft, welche die Linien des zu vollführenden Kunstwerkes ihm vorzeichnet: es ist die sinnliche oder thierische Einbildungskraft; verbunden mit der Fertigkeit, dieses Bild im Stoffe darzustellen, macht sie ihren Träger zum Künstler. Freilich ist er unvollkommener Künstler; er versteht sich nur auf diese einzige Art der Kunst und ist ausser Stande, mit den Bauten der Bienen oder Ameisen in Wettbewerb zu treten. Steigen wir weiter herab in der Stufenleiter der Dinge und betrachten die amorphe und krystallinische Formengebung, so sprechen wir nicht selten von der wunderbaren Plastik der Natur. Mit Recht; denn bei solchem Ausdruck haben wir die Gesammtheit der unbelebten Naturwesen personifiziert und ihnen ein innewohnendes Princip zugegedacht, das jedem Dinge sein Vorbild anweist, nach dem es im Stoffe sich zu bethätigen hat. Von Kunst im eigentlichen Sinne aber sprechen wir dort, wo der Träger der Bilder und Begriffe nicht an eine bestimmte und beschränkte Art gebunden ist, sondern nach Lust und Liebe entweder sie selber erst sich schafft oder doch mit selbstherrlicher Willkür sie wählt. Sind es Bilder, deren Inhalt auf die blasse Nothwendigkeit und das nie ruhende Bedürfnis des Menschenlebens sich bezieht, so haben wir die Kunst des Handwerkes. Befassen sich die Entwürfe der Phantasie und des Geistes mit Dingen, die als ein Abdruck des Schönen, des Wahren, des Guten, des immer und überall Wesenden gelten sollen, so heissen wir das die Idealkunst. Und tritt in einer andern Summe von Gebilden eine glückliche Mischung von Ideal-